DE CARCINOMATE MAMMAE ADJECTIS MORBI HISTORIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE II. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES BEINLICH,

GLACENSIS.

PARTES ADVERSARIORUM AGENT:

L. BIBERSTEIN, MED. ET CHIR. DD.

TH. KOERNER, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

A. TH. MIDDELDORPF,

MED. ET CHIR. DOCTORI, UNIV. VIADRINAE VRATISLAV. PROF. P. O. SCHOLAE CLINICAE CHIRURG. OPHTHALM. DIRECTORI, IN NOSOCOMIO O. S. VRATISLAV. CHIRURGO PRIMARIO, COM. REG. AD EXAMIN. MED. DELECTAE MEMBRO, FACULT. MED. H. T DECANO, AUGUST. BORUSS. REG. IN BERUS MED. A COSILIIS, LEGIONIS HONORARIAE ET AQUILAE RUBRAE EQUITI, LITTERARUM SOCIETAT. COMPLURIUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO,

EGREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE SEMPER VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

Permagni sane momenti est, vitae, quam vegetativam nuncubant, aberrationes, quantum fieri potest, inquirere, de causis earum argute sciscitari, indolis formae mutatae, incrementi, decrementi, aliarum ejusmodi rerum rationem habere, ut inde arti medendi emolumenta nascantur. Jam vero in procreandis corporibus natura, mysteriorum plena, deprehenditur, tecte in nutriendis illis procedit, longe vero absconditissimos quasi tramites ingreditur, ubi hisce in rebus a via maxime trita deflectit. Sed jam in prima corporis formatione natura persaepe a recta via aberrat atque diversissimas partium deformitates gignit. Praeterea accedit, ut in corpore, jam bene constructo, continua materiae vicissitudine et perpetua organismi potentiarum actione partium deformationes exsistant. Verum etiam novi atque insoliti aliquid in corpore humano non raro gignitur, si quidem materia organica, priusquam

organis assimilatur, per se formatur et vitam propriam nanciscitur, cum corpore autem, etiamsi per semet ipsam exsistat, perpetuum commercium tenet. Quae deformationes atque insolita neoplasmata interdum tantopere organismum infestant, ut ejus vitam exstinguant. Ex his vitiis, quibus functiones atque bona valetudo valde perturbantur, commemorandum est carcinoma mammae, cujus descriptionem hisce pagellis propono. Priusquam autem ad carcinomatis delineationem transeamus, brevem mammae adumbrationem anatomicam praemittendam esse ducimus, quo naturae rationem in efficiendis novis partibus atque insolitis earumque a sanis discrepantiam melius perspiciamus.

Caput I.

In quo mammae descriptio editur anatomico - topographica.

Mammas, copioso panniculo adiposo circumdatas, inter tertiam et sextam costam vides, ubi in posteriore parte paullum concava ad musculum pectoralem majorem, tela cellulosa sunt affixae. Inter se distant fossa, quae paribus intervallis cum sterno descendit quaeque sinus appellatur. Forma sunt hemisphaerali, quae forma et magnitudino, uti conditiones physiologicae, aetas, quin etiam vestimentum ferunt, valde sunt variae. In summa mamma est papilla erectilis, sensitiva, subfusca, quae aut corpusculum cylindratum, rarius metae simile paullum exstat, aut in scrobiculum retracta est. Papilla subfusca areola circumdatur. Quaevis mamma ex XVI—XXIV lobulis constat, qui densa telae submucosae copia in solidum corpus conjuncti et copioso panniculo adiposo involuti sunt, unde mammae forma rotunda et molli consistentia apparent. Quorum lobulorum quisque compositus est ex acinis membranaceis, uvarum instar coacervatis, qui canaliculis instructi sunt. Hi arboris specie in majorem ductum lactiferum sese congregant. Lobulo cuique ductus lactiferus respondet. Ductus autem papillae basim versus coeunt, sub areola ita dilatantur, ut sinus lactei fiant; tum coarctati sublime feruntur ad summam papillam, ubi postremo bini vel trini inter papillae rugas tenuibus ostiis effunduntur. Qua anatomica consideratione finita, liceat, eorum facere mentionem, quae pertinent ad partem pathologicam, quoad scopo nostro conveniat.

Caput II.

In quo carcinoma mammae describitur.

Ex omnibus, quibus laborare potest, tumoribus, mamma saepissime carcinomate afficitur. Cujus morbi duo praecipue genera sunt, et scirrhus et fungus medullaris. Sunt quidem et alia cancri genera, exempli gratia cancer colloides sive alveolaris et carcinoma epitheliare, sed non nisi perraro exsistere solent. Quamobrem his omissis duobus illa carcinomatis genera sola tractabo.

Jam in scirrho tria stadia distinguuntur. Primum stadium cognoscitur ex eo, quod naturalis tela in scirrhosam degeneratur et inter telae partes organi elementa, scirrhum formantia, oriuntur, quae naturalem structuram reprimunt. Incipiente morbo prope papillam, vel in exteriore parte superioris peripheriae mammae conspicitur nodulus, durus, rotundulus, vel levis vel asper, qui modo facilius, modo difficilius loco moveri potest et saepissime fortuito reperitur. Nodulus hic, ciceris vel avellanae magnitudine lente et paullatim augetur, ita ut saepe per spatium complurium mensium vel annorum fere non commutetur. Paullatim autem nodus, qui organo aegroto coalescit, quare cum illo tantum moveri potest, nodosior exsistit, et quocunque sese extendit, noduli alii apparent, qui prioribus accrescunt. Ita tumor ad magnitudinem ovi anserini vel pugni auctus, formam vel nodi rotundi et asperi vel complurium magnitudine disparium nodorum induit. Ejusmodi tumor, si scapello dissecatur, edit stridorem. Sectionis frons colorem albo-caeruleum et fibras subalbas praebet. Quae fibrae efficiunt rete continuum, quod lingua nostra dicimus „Krebsgerüst". Interdum etiam illi fibrarum tractus, sicut radii, ex uno vel pluribus locis peripheriam versus exeunt. Maculis his alia massa involuta est, consistentia molliore, colore vel albo-rubenti vel caeruleo, vel subfusco, quae ex cellulis scirrhosis et substantia intercellulari constat. Substantia intercellularis, cellulis carcinomatosis mixta, exprimi potest, si vel ipsa comprimitur, vel sectionis frons seapello raditur, et vel canus, translucidus, vel albulosus, lacteus humor apparet.

Morbus vero paullatim progrediens ad stadium secundum quum pervenerit, tumor magna capit incrementa. Aegrotae pruritum, tum pungentes dolores sentiunt, qui brevi valde augentur, quibusque imprimis nocturno tempore vexantur et somno privantur exoptatissimo. Ad illos dolores accedit calor, tanquam pruna effectus. In vicinis partibus chronica exsistit inflammatio, quae indies crescit. Minores arteriae et lymphatica vasa una cum ipsorum conglobatis in glandulas lymphaticas partibus sensim sensimque vim amittunt vitalem, opprimuntur, evanescunt et majores tantum venae oculis se praebent voluminc saepe auctae et varicosae. In hoc stadio status valetudinis generalis perturbari incipit, aegrotae appetitum amittunt et luridum, cachecticum aspectum praebent.

Clariora quidem sunt indicia stadii ultimi prioribus, quae fallacia interdum sunt medicumque, nisi summa, qna potest, diligentia, observat, in magnam inducere possunt incertitudinem. In hoc stadio cancer est apertus. Partes mammae emollitae dehiscunt, humor male olens, tenuis, subfuscus effunditur, inde natus, quod tela grangraenosa effecta dissoluta est. Partes, quae circum locum scissum sunt, diffuse rubescunt et calidiores et sensitiviores redduntur. In tumoris basi vel necrosis telarum scirrhosarum, quae est tabulatim strata, vel excrescentiae fungosae ex tumore provenientes conspiciuntur. Jam ulcus denticulatum, excavatum, duris et reflexis marginibus et secretione pessime olente nascitur. Glandulae lymphaticae, si nondum intumuerant, nunc certe intumescunt et obdurantur. Totus corporis habitus alia est forma, faciei color mutatus, concoctionis vires prostratae, nutritio turbata, languescunt pedes, somnus doloribus interruptus, febris hectica adest, sudores nocturni, diarrhoea colliquativa, facies hippocratica.

Postquam breviter adhuc, quomodo scirrhus oriatur et quomodo progrediatur, necnon quo maligno effectu in universa organa sit, ostendimus, jam eodem modo et ratione fungum medullarem tractabimus. Hujus cancri generis, quo rarius quam priori genere afficiuntur mammae, est, quod mollem consistentiam et cellulas fere innumerosas praebet. Ibi quoque initio morbi nodulum levem vel paullum asperum ad animadvertis, si digito palpitas mammam. Nodulus hic

loco moveri potest, dolores non excitat; quamquam incipiente morbo plus vel minus duritatis habebat, tamen, quum auctus sit, magis elasticus apparet. Fungus medullaris, qui adhuc lente et paullatim crevit, quum membranas impedientes perfregerit et cuti mammam tegenti coaluerit, brevissimo tempore augetur, et neque moveri facile potest neque elasticitatem praebet, immo vero ita comparatus est, ut, nisi subtiliter inquiris, fiuctuationem adesse censeas. Rebus ita se habentibus, cutem superfusco, tum fusco colore indui, tum maculas caeruleo-rubras animadverti, quae certis terminationibus finiri nequeant, quaeque inter se contingant et quasi rete forment, Schuh contendit. In intervallis hujus retis tamen normales cutis partes exsistere dicit. Super tumore ipso cutis venae amplificatae sunt retium modo, quae etiam in locis vicinis sanis videntur. Quo facto singulae tumoris partes, molliores factae, magis curvari solent, locus eminentissimus, qui interdum etiam fluctuat, dehiscit, denique cruentum emittit pus magis minusve foetidum. Ex eo loco molles albo-rubrae, elasticae, gignuntur massae, quae citissime incrementa capiunt. Tabulata superiora, aër efficit, ut emoriantur, quo vel albo-canae, vel flavidae vel viridis materiae speciem imitantur, quae materia foetoris in causa est. Jam dum nonnunquam haec tabulata superiora emorientia non exsistunt, sed neoplasma celeriter procedit, accidit nonnunquam, ut tumor minuatur eo, quod toti loci, gangraena affecti, abstruduntur. Simulatque loci singuli fiunt molliores vel dehiscunt, glandulae axillares intumescere solent et cirrhose degenerantur. Jam, ubi primum factum est, ut fungus dehiscat et ulcerationem ineat, acres plerumque dolores excitantur vel dolores, jam antea si affuerint, etiam augentur. Valetudo generalis, si adhuc bona fuit, et ipsa turbatur et exsistunt paullatim cachexiae cirrhosae. Quare quum fungus medullaris multo citius accrescat, quam Scirrhus et citissime mollior fiat denique dehiscat, minus diuturnus set, quam scirrhus ob eamque rem malignior et, quod ad prognosin attinet, infaustior.

Jam vero, ut suprade scirrho fecimus, hoc quoque loco nonnulla anatomica praemittemus. Primum autem tenendum est, recentem fungum crudum differre ab eo, qui jam mollior fit. Illum enim persecantes videmus albo-carnam, vel albo-flavidam vel opali colorem imitantem mate-

riam, quae digitis elisa pulticulae speciem refert. In illo tua insunt fibrae, quae vel pari intervallo inter se distantes vel per fasciculos peripheriam petunt, qua re fit, ut superficies nascatur nodosa; aut fibrae non insunt, omnes fungi partes eodem sunt genere. Si initio in fungo pauca insunt vasa, eorum numerus mox adaugetur, fungusque rosarum fere colorem induit et crudentis est lineis distinctus. Quo magis crudus fungus mollis fit, eo magis vasa numero augentur et efficiunt rete, quo tota materia carcinomatosa continetur. Emollitus autem fungus originem ducit vel e centro vel e peripheria vel e singulis nodis. Semper autem fungus emollitus ex stadio crudo nascitur.

Caput III.

In quo Aetiologia datur.

Quod attinet ad Aetiologiam hujus mali, negari non potest, causas quasdam esse praedisponentes, quibus adnumeranda est constitutio tenera, roborisque expers, sive ingenita est, sive aliis morbis acquisita. Haec quoque est causa, cur de dispositione hereditaria multi loquantur medici, imprimis, quum habitus scrophulosus ad hoc malum praedisponat; eoque facilius ex modo nominato morboso statu procreatur carcinoma, si postea atrabilaris venosa accessit dyscrasia. Plerumque igitur faminas hoc malo laborantes videmus, quibus cholericum aut melancholicum est temperamentum, strictus et siccus corporis habitus, fusci crines et oculi, fuscus sanguis, amplae venae, quas plethora vexat abdominalis et ceterae ejusmodi affectiones. Ceterum damnosis et perniciosis rebus, in quibus gravissima hujus morbi sita esse causa dicitur, victus adnumeratur corpori non idoneus, humida aëris qualitas, humida frigidaque loca et domicilia, immoderantia in assumendis spirituosis potibus, nimia humorum et sanguinis profluvia, morborum debilitantium varia genera, exanthematum suppressio et multa alia ejusmodi. Sed et locales affectiones mammae carcinoma producere videntur, ubi, ut experientia nos docuit, plane localem se praestat morbum, quem mechanicae vires, pressio, ictus, contusiones, irritamenta prementia progignunt. Magni momenti esse videtur nervorum systema, quod ad carcinomatis ortum pertinet.

Maxime in feminis sensibilibus, convulsionibus et hystericis affectionibus subjectis, si deprimentes animi affectus et curae, iterum atque iterum vexantia animi pathemata illas persequantur, oriri carcinoma videmus.

Caput IV.

In quo carcinomatis diagnosis datur.

Jam, quae in aetiologia maxime momenti sunt, persecuti, ad Diagnosin transeamus. Sed quoniam in descripto scirrho et fungo varias res diagnosticas exposuimus, gravissimas tantum repetamus necesse est. Carcinomate laborantium plerumque glandulae axillares tumuerunt, quod indicium raro tantum aberit, nihilominus accidit nonnunquam, ut glandulae axillares intumuerint quidem neque tamen, carcinoma mammae adsit, immo etiam tumor absit. Harum rerum sunt in causa morbi vel mammae, vel thoracis vel extremitatum superiorum. Certum autem est, si glandnlae axillares intumuerunt, mammaeque tumoris genus dubium est, id esse carcinomatosum. Aliud diagnosticum mammae carcinomatis indicium est ejus frequentia in mamma, ita ut, quum tumor certe dijudicari nequeat, prae ceteris carcinòma adesse saepius statuendum sit, quam aliud malum. Tertium indicium sunt dolores pungentes, carcinomati annexi, qui in ultimis stadiis perraro desunt. Aliud carcinomatosi tumoris est recidiva post operationem, quae recidiva aut in parte operatione affecta, aut in aliis organis, ut sunt glandulae lymphaticae cavi humeri. Res, quas enumeravi, si quis consideravit, raro profecto carcinoma cum aliis mammae morbis confundet. Facillime autem hoc fieri posset cum cyctosarcomate, nisi certa et levis determinatio a partibus vicinis, et inclinatio crescendi in superficiem et elevatio a reliqua mammae parte, et lobulosa tumoris forma et cystae certae suppeditarent indicia; praeterea tumorem musculo pectorali insidentem semper movere poterimus et glandulas nunquam intumuisse videbimus. Si mammas ambas comparamus, carcinoma facile a mutationibus, quas senectus efficit, distinguemus. Tum enim mamma corrugat, dura fit, et nodosa et facile carcinomatis imaginem praebet; tuber autem non carcinoma habendum est, si eodem tempore in utraque mamma exsistit tumor eodemque modo crescit.

Caput V.

In quo Prognosis exponitur.

Priusquam ad therapiam hujus mali transeamus, pauca dicere liceat de prognosi, quae fere semper est infausta et tristis; terribiles illi casus considerandi, quorum numerus proh dolor! adhuc sufficit, nos docere humana esse studia nostra et naturam, nullo modo homini subditam sua quoque sibi retinuisse jura, ne supra modum exsultet homo et caput suum ad sidera tollat. Miserrime perire debent plurimae hoc malo laborantes, nec ullo remedio servari possunt. Medicus insuper saepissime advocatur, quum tantos jam progressus fecit malum, ut ne lenire quidem possit aegrotae statum miserum. In primo stadio, cujus supra mentionem fecimus, melior quidem est prognosis, attamen indicia, equibus speranda salus, admodum sunt incerta. Deinde mulier, quae nondum doloribus gravissimis plane est debilitata, cujus constitutio nondum affecta, facilius curatur, quam ea, cui jam aliae corporis functiones abalienatae sunt, cujus glandulae infestatae parum spei nobis relinquunt. Carcinoma vero apertum, febris hectica diutina, sudores nocturni, dolores gravissimi, diarrhoea nunquam cessans, sanguinis corrupti odor foedissimus, vires omnino fractae pessima sunt indicia mortemque appropinquare significant.

Caput VI.

In quo therapia enarratur.

Restat, ut therapiam exponam, qua, nisi morbus sanari, mors in aliquod tempus differri potest. Ad tollendum hoc malum diversissima jam adhibita sunt remedia, quae mirum quantum nonnunquam ad valetudinem restituendam valuisse sunt, qui contendant. Sic alii inedia injuncta, alii adhibitis Arsen. Brom, Jod. tumorem carcinomatosum repressisse se autumant, qui fere omnes decepti sunt ea re, quod non nodi carcinomatosi paullatim deminuti sunt, sed tela adiposa illos circumdans decrevit, obeamque rem illi minores videntur. Sinautem re vera carcinomati mederi nobis in animo est, id non nisi operatione facere licet,

quae fieri potest aut amputanda glandula una cum intensa cute externa aut exstirpanda penitus glandula ita tamen, ut cutis non violetur, aut exstirpanda parte tantum tumoris. Mamma et cutis eam tegens, ut postulavit ea, quam Forest et Franc d'Arce secuti sunt, methodus, ita remotae sunt, ut mamma vel manu vel furcilla Bidlowiana comprehensa, scapello una cum cute amputata sit. Verum tamen, si res ita agitur, quum vel glandulae pars relinquatur vel musculi pectoralis exsecetur et omnino vulnus efficiatur, quod non nisi difficillime sanari potuit, methodo, quam nominavi, totius mammae exstirpatio praeferenda est.

Aegrotae vel lecti margini vel mensae incumbentis brachium lateris ejus, quod morbo affectum est, sublevatum affigitur. Tum duae fiunt sectiones, quarum fines coeunt, plerumque inde a processu xiphoideo usque ad cavum axillare, quae tantum inter se distant, quantum glandulae et cutis removendae postulat ambitus. Ac primum quidem, ne sanguis effusus rei difficulates adaugeat, inferior fit sectio. Cutis et ejus, qui scalpello medetur, manu et assistentis intenditur, qui eodem tempore vasa scalpello violata substringit. Sectio superior incipit, unde et inferior cepit initium. Cute persecta, primum in inferiore sectionis margine, deinde in superiore tela cellulosa scalpello supino separatur, cutisque digito pollice et indice comprehensa a glandula avellitur. Quo facto tumor utraque parte solutus, manu sinistra comprehenditur et solvitur et quod optimum est, inde ab anteriore et inferiore vulneris angulo ad superiorem a fascia subjecta resolvitur. Etenim haec operationis methodus Richterianae et Sharpianae praeferenda est, quia fibrae musculi pectoralis non suffodiuntur et postremum venitur ad locum vasorum, quae, ubi persecta sunt, statim queunt substringi. Si glandulae axillares removeantur necesse est, superiore vulneris angulo super glandulas amplificato, digito vel unco duplici comprehenduntur et texto discerpto evelluntur vel textum glandula intensa forfice persecatur. Rami arteriae thoracicae longae vel ar. thoracica ipsa, dum glandulae quasi decortantur, persecta extrahenda tantum sunt et substringenda. In tumoribus profundioribus unguibus, quibus tumor magis evellitur, quam decortatur, uti licet, cautione tamen adhibita, ne vasa axillaria violentur Operatione finita, margines vulneris conjun-

guntur sutura pellionum, ut prima gignatur reunio, deinde, linteis adhibitis, glacies imponitur.

In exstirpatione particulari, qua ad nodum utuntur removendum, nodi tegumentum finditur, quo facto nodus volsella vel forcipe comprehensus exsecatur. Si cutem quoque removeri oportet, nodus cum cute eum tegente comprehensus circumciditur. Vulnus exstirpatione particulari effectum, quum plerumque prima intentione non coeat, linamento cavum expleri solet, quo fit, ut sanguis ex multis vasculis effluens reprimatur. Fasciae mutantur, simulatque pure solutae sunt, eodemque modo renovantur. Commemoratis jam iis rebus quae ad hoc malum gravissimae mihi videntur historias morbi in clinico chirurgico observatas enarrabo.

Historia morbi.

Observatio prima.

Beata Linkenheil, mercatori nupta, die V. m. Decemb. MDCCCLIV. in clinicum chirurgicum recepta est. Femina, misero luridoque adspectu, ex anno fere prope sinistrae mommae papillam, sentit tumorem durum, nucis magnitudine, qui suo loco moveri potest, et digito pressus serosam cruentamque secernit materiam, et dolores medicos excitat. Tumoris materia per microscopum inquisita, carcinoma reticulare invenitur. Exstirpatione d. V. m. Decemb. sine torpore facta, papilla quoque eique vicini duo noduli removentur. Suturae circumvolutae quinque adhibentur, duaeque arteriae torquentur. Vesp. hora VIII. multum sanguinis per suturas penetrat, acus duae extrahuntur, arteria una substringitur, tum, acubus tribus profunde infossis, firmiter vulneris margines contrahuntur, postremo aqua plumbi applicatur.

D. VI. Aegrota doloribus acribus affecta est, utitur Morph. c. aqu. amyg. amar.

D. VII. Aegrota interdum dormivit, tussis vehemens, vulneris inflammatio non adest, acus una removetur, pulsuum ictus centum; Rheum porrigitur, cataplasmata, aqua plumbi satiata, adhibentur.

D. VIII. acus duae extrahuntur, pulsus numerantur C., status aegrotae est melior, vulneris inflammatio deest, medicamenta laxantia ordinantur.

D. IX. Aegrota bene se habet, somno caruit, quum

alvo saepe soluta sit, et viribus fracta; acus reliquae extrahuntur, vulneris margines bene continentur, aegrota bene se habet.

D. X. Aegrota doloribus affecta est eo loco, ubi ligatura est, febri non laborat.

D. XI. Valetudo est firmior, pus non exsistit, ubi fila sunt, aegrota dolores sentit.

D. XIII. Cataplasmata chamomillis satiata adhibentur, emplastra removentur. Vespertino tempore compluria sanguinis plena cochlearia ex vulnere effluunt. Pus ex vulneris angulo removetur.

D. XIV. Puris paullum in vulnere inest ad longitudinem valde contracto.

D. XV. Pus bonum et laudabile exsistit; vulnus breve, molle, moveri potest, ex inferiore vulneris margine puris paullum exit.

D. XXV. Vulnus est clausum, cicatrix angusta, partes vicinae sunt molles. Aegrota demittitur.

Observatio II.

Cuny, mercatoris vidua XXIX. m. Nov. recepta est. Mulier robusta, pinguis, quae antea semper bona gavisa est valetudine, mense Jun. ann. MDCCCLIV. contusione mammae dextrae affecta est. Inde nodus in mammaquem jam antea animadverterat, paullatim auctus est, id quod efficit, ut graves dolores pateretur. Tumor, in quo tangendo mammam ipsam discernere non potes, quod mammae degeneratae indicium est, hoc tempore magnitudine parvi capitis maris est, in pluribus partibus durus sentitur, in perpaucis fiuctuationi similis. Superficies tnmoris est nodosus, tumor ipse facile e loco moveri potest. Tumor habetur scirrhosus. Operatione sanguinis multum effluebat. Duae sectiones, inferior et superior pari tractu et pari longitudine ita ducuntur, ut qua minime multa exsecetur cutis. Augulus vulneris posterior fere 1½″ ante lineam axillarem est, augulus vulneris anterior eo loco, ubi sextae costae cartilaginis est insertio. Tumor facile totus exstirpatur, quod et basis ejus certis finibus circumscripta est. Sex tantum arteriae subligatae sunt, aliae sex sanguinem effundere sponte et ultro desierunt, decem acus applicatae sunt. Quarum acuum sex sufficientes erant, ut basis vulneris

tota conjungeretur, aliis quatuor superficiei propinguioribus cutis juncta est. Emplastra adhaesiva, carpia; cataplasmata frigida nulla. Vulnus consutum fere VI'' longum est. Operatione finita, in dextro humeri cavo dolores sentit aegrota. Quum tumor inquireretur, inventa sunt haec. Tela tumoris in superficie sectiónis, a basi illius usque ad papillam factae, candida est; tribus tantum in partibus parvae sunt cavitates, subfusca et granulosa materia refertae. Tumoris sectio fere cartilaginis sectionem imitatur. Dura illa candida materia ex persolida tela cellulosa et ex candida et granulosa substantia, quae multis locis inter solidissimam telam cellulosam sita esse videtur. Huc et illuc in persectione tumor in globi speciem terminatur. Substantia, quae inter hos erat globos, ex oblongis cellulis quasi caudatis et ex globis adiposis constat. Utrum materia globi speciem imitans in tumore fuerit necne, dici non potest, quum tumor integer conservari jussus esset. Cavitatum, quarum modo mentionem fecimus, quaeque fere in tumoris centro et sub papilla inveniuntur, latera globosis, ovatis, polygonalibus cellulis induta sunt et ex densa, granulosa et longitudinali tela cellulosa, quae tenuibus erat fibris et elasticis, constant. Trium cavitatum in nulla ostium inveniri potuit. Humor subfuscus, granulosus, maxima ex parte et ex cellulis, quas supra memoravi, et corrugatis sanguinis corpusculis et majoribus polygranatis cellulis compositus est. Rebus ita se habentibus, tres illas cavitates parvos ductus lacteos dilatatos esse putabant, in quibus haemorrhagia facta esset. Materiae ejus, quae substantia glandulosa dicitur, nihil inveniri potuit; fortasse in atrophiam, paucis relictis partibus, est redacta. Quae tamen partes, si diligentius esset inquisitum, inveniri potuerant. Vasorum sanguiniferorum et nervorum visa est paucitas.

D. XXX. m. Nov. Acus profundae duae, superficialis una extrahuntur; respertino tempore exigua vasorum irritabilitas et aliquantulum capitis gravitatis. Aegrota in tergo prope posteriores vulneris margines doloribus affecta est, appetitum non habet.

D. I. m. Dec. Acus tres removentur, status vitae generalis bonus, nisi quod aegrota somni paullum capere potuit, quare Morph. adhibetur.

D. II. Duae acus extrahuntur, aegrota somnum cepit, appetitus adest.

D. III. Ultimae acus duae removentur. Pus non exiit, vulnus per primam reunionem sanescere videtur. Dolores in cavo axillari cessarunt, status generalis bonus, bona etiam edendi voluntas et somnus. Aegrota lectum relinquit.

D. IV—X. Puris paulum ex punctionis canalibus exit. fila removeri nondum possunt. Cetera omnia per primam intentionem sana fata sunt.

D. X—XV. Status generalis bonus, ligaturae fila duo removentur.

D. XVI—XX. Status generalis optimus, reliqua removentur fila.

D. XX. Vulnus plane ad cicatricem coiit, cujus longitudo tribus fere transversis unquibus minor, quam vulneris est.

D. XXV, m. Dec. Stat. gener. optimus. Aegrota demittitur.

Observatio tertia.

Christiana Schubert, curatoris agrarii uxor, annos quadraginta sex nata, per biennium in mamma dextra supra papillam tumorem sensit paullatim accrescentem, qui nunc mali magni adaequat magnitudinem; ubi musculo insistit, loco moveri potest, intensae autem cuti firmiter affixus. Tumor durus est et nodosa superficie, antea dolores non excitavit, jam vero quatuor abhinc fere hebdomades interdum dolores movet mediocres.

Die IV. m. Febr, a. MDCCCLVII a. tumor exstirpatus est, vulnus profundis suturis circumvolutis contractum est.

D. V. Aegrota bene se habet; Clysma datur.

D. VI. aegrota dolores in capite sentit; fasciae renovantur, vulneris fissura bene contracta.

D. VII. Acus nonnullae removentur, hiat extremus vulneris angulus.

D. IX. Suturis remotis extremus tantum angulus est contractus.

D. XI. Diarrhoea aegrota laborat.

D. XVII. Diarrhoea nondum minuta; cascarilla utitur aegrota.

D. XVIII. Suppuratio e regione mammae in dextram thoracis partem transiit, ubi pus, incisione facta,

removetur. Aegrota febri et diarrhoea laborat. Serpentaria et Opium porriguntur.

D. XIX. Vulnus materiem secernit tenuem decoloremque.

D. XX. Vires sunt fractae, dantur tinct. Ambr. c. Mosch, Clysmata c. arg. nitr. Vespertino tempore aegrota melius se habet.

D. XXI. Aegrotae alvus iterum et saepius descendit.

D. XXIV. Diebus antecedentibus usque adhunc aegrota melius se habuit; diarrhoea non profusa; id, quod vulnus secernit, melius est et lactis speciem refert.

D. XXV. Aegrota rursus saepius alvo soluta est, vires debilitatae, pulsus celeriores, parvi et debiles; porrigebantur Dec. Colomb. c. extract. nuc. vom. spir. gr. i et tannin. ʒβ; respiratio anxia; sputa cruenta, spissa, purulenta.

D. XXVI. Diarrhoea cessat; sputa aucta; vires magis magisque debilitantur; flores benzoi c. adhibentur.

D. XXVIII pulsus sensu vix percipi possunt, mors imminet, quae vespertino tempore ejus vitae finem imponit.

Sectio: Cerebrum paullum hyperaemicum. Operationis locus siccus, nullo granulationis indicio. Tergum versus est locus puris mali pugni magnitudine, decoloribus parietibus; pus usque sub processum coraoeideum et musc. pectoralem diffusum; inter tertiam et quartam costam thorax est depressus. A superiore loco suppurativo usque ad costam undecimam pertinet pus diffusum; uterque pulmo adhaesionibus inveteratis cohaeret, eodemque modo diaphragma. Inferior dextri lobuli superioris margo loco operationis est infiltratus. Suppuratio incipit in nonnullis locis infiltratis; materies peripherica aërem continet et sanguinem. Infiltrationi dextri lobuli superioris respondet Pleuritis pulmonalis, et costalis.

Observatio quarta.

Christiana Ludwig, aedium domina, triginta duos annos nata, d. VI. m. Julii MDCCCLVIII in hospitium chirurgicum est recepta. Femina magno robustoque corpore, semper antea bona valetudine, quae nunquam peperit, novem mensibus antea mammam sinistram ad horrei fores offendisse se dicit. Quo facto non multo

post in sinstro mammae quadrante inferiore nodulus ortus est, qui nullos excitavit dolores, facile suo loco moveri potuit, initio ciceris paulo post anatis ovi magnitudinem adaequavit. Medici, quem consuluit, opera inutilis fuit. Feminae in hospitium receptae cutis tumori intensa rubra fuit atque livida. Papilla depressa, plana juxta tumorem; tumor omnis durus et paullum asper neque tuberosus. Glandula parva in cavitate axillari eique similis in regione axillari intumuerunt, quarum utraque cum altera et cum tumore est conjuncta. De doloribus femina non queritur, adspectus non est cachecticus. Conjiciendum est de carcinomate mammae sinistrae. Tumor m. VIII. m. J. galvanocaustico auxilio exstirpatus est. Vasa sanguinem emittentia magis cauteriantur.

Neoplasma exsecatur. Vulnus magnitudinem volae manus adaequavit, fasciae non sunt adhibitae; diebus sequentibus usque ad diem XV, m. Jul. nulla febris, nulli dolores, ne eae quidem partes, quae vulnus circumdant, inflammatae. Die XXVIII. m. J. aegrota Varioloi affecta est, quae usque ad XVI. m. Aug. cessaverat. Per hoc tempus pus bene exiit, vulnusque coiit ad cicatricem. Die XVI. m. Aug. femina demissa est, vulneris superficie, quae nondum coierat, digitos fere duos vel tres lata. —

Observatio quinta.

Rosalia Angstein, ancilla, viginti tres annos nata. die XX. m. Jun. a. LIX in hospitium est recepta. Aegrota anno ante supra papillam nodulum sensit magnitudine fabae, qui digito pressus non dolores excitavit neque cutem rubram effecit. Iste nodulus paullatim crescens m. Febr. dimidiam mammam occupavit. Eodem mense aegrota mammam offendit atque ex eo tempore tumorem cito crevisse existimat. Nunc tota glandula fere duplicem magnitudinem adaequavit. In exteriore papillae parte durities maxima est; cutis eo loco caeruleo-rubra, tumorque nondum loco suo moveri potest. Circum papillam sunt excrescentiae cancri epitheliaris speciem referentes. Epidermis tegumentum rimosum; glandulae axillares duae tantum infiltratae modica magnitudine. Fibrarum fasciculus infiltratus a mamma ad glandulae axillares pertinet; valetudo optima, menstruatio ordinem legitimum sequitur.

Die XXIII. m. Jun. Heri mamma dextra amputata est, cataplasmata adhibita sunt, et ligaturae duae et sutura pellionum. Dolores paene absunt. Aegrota somno parum est usa, nocturno tempore semel evomuit, Matutino tempore facies rubore affecta, pulsuum ictus LXXX., molles; lingua paullum obtecta; pus ex vulnere bene exit; regio axillaris dextra doloribus est affecta, margines vulneris paene ubique obliti; aegrota utitur acid. mur. XI. hora matutina febris aucta, pulsus pleni ac duri, vespertino temporc centum et quadraginta numerandi; sitis adaucta.

D. XXIV. Aegrota haud diu dormivit, sitis vehemens, pulsus centum et quindecim, datur acid. mur. et aqu. amygd. amar.

D. XXV. matutino tempore pulsus sunt moderati: aegrota melius se habet, vespert. exacerbatio.

D. XXVI. status bonus; pulsuum ictus LXX; therapia eadem; carpia tota ex humeri cavo excipitur. Vulnus aqua Plumb. expurgatur.

D, IV. m. Jul. granulationes sunt uberes; aegrota optime se habet.

D. VI. m. Aug. canalis ad cavum axillare expletur, sed in inferiore et exteriore aperturae parte duo nodi fere fabae magnitudine conspiciuntur, qui in cute moveri possunt. Status generalis bonus; unguento cinereo utitur.

D. XV. status generalis bonus; nodi confusi; cutis fere magnitudine volae manus rubra et infiltrata; therapia eadem.

D. XX. secundum sectionis longitudinem etiam nodi duri, et maxime in interiore sectionis margine nonnulla cutis carcinomata fere magnitudine ciceris vel fabae videntur; nodus cutis magis magisque condensatur, cujus diameter VIII. Centim. in longitudinem et in transversum sese extendit; dolores nocturni somnum expellunt.

D. XXII—XXVI noctibus singulis dolores ita sunt aucti, ut aegrota totum fere tempus extra lectum consumeret nec nisi interdiu dormire posset; quotidie iterata operatione affici voluit. Recidiva ab inferiore margine cavitatis humeri ad medium sternum pertinet; in medio sterno, in parte antea indurata, complures nodi animadvertuntur.

D. XXVII. hora X a viro Ill. Prof. Dr. Middeldorpf operatio facta est. Primum partes infiltratae,

quantum necessitas postulat, atramento delineantur. Infiltrationes in musculum pectoralem majorem penetrant, quam ob rem et hic laesus est; nonnulli nodi inter costas siti removeri non potuerunt; haud multum sanguinis effusum est, quatuor ligaturae factae sunt; vulneris superficies tannino conspersa, carpia imposita, panno circumdata est. Aegrota, operatione finita, valde animo commota erat, pomeridiano tempore tamen tranquillior, doloribus haud multum vexabatur; pulsuum ictus LXXX.

D. XXVIII. aegrota noctu non dormivit; dolores magni; levis excitatio febri exorta, pulsus LXXXVIII; respiratio non impedita.

D. XXIX. noctu non dormivit; dolores leves; febris absens; pulsus LXXX; respiratio aequalis.

D. XXXI. aegrota bene se habet; febri caret, ligatura nondum demitur; vesp. febris; acid. phosph. datur.

D. II. m. Sept. ligatura removetur, quae ad vulnus adhaeret, quaeque tepidis cataplasmatibus emollita est; stat. generalis bonus.

D. III. nonnullae vulneris partes coalescunt, aliae nigro tannino obdurato circumvolutae sunt.

D. XIV. granulationes uberes sunt et pulchrae, sed sub cavo axillari nodi videntur, qua ex causa ne recidiva exsisteret, timendum erat. Tumoribus applicatur pasta Ludolfiana, quae decem per horas jacet.

D. XXII. Pasta non effecit, quod postulatum est; vulneris crusta est tenuis, adhaerens; granulatio totius vulneris bene procedit. Intrinsecus in sterno tumor etiam uber magnitudine semijuglandis conspicitur. Pasta Landolfiana adhibetur, quae XXIV per horas jacet.

D. XXII. Crusta vulneris, pasta effecta, sub cavo axillari nondum abstrusa, tamen tam tenuis est facta, ut nodi non excisi sub ea videri possint; hodie etiam pasta adhibetur.

D. XXIII. doloris vehementia est permagna.

D. XXV. aegrota bene se habet; somnum adhuc capere potest.

D. XXIX. Huc atque illuc in vulneris superficie, quae pulcherrima apparet, tumores nodosi eminent. Praeterea in vulneris canali excrescentia 1 $^1/_4$ digitos magna, nodosa, solida. In cavo axillari sinistro glandula infiltrata, magnitudine avellanae conspicitur.

D. III. m. Oct. quocunque granulationum superficies sese extendit, tubercula caeruleo-rubro colore videntur in cute. Nonnulli nodi, qui jam triduo ante animadversi erant, duplo majores facti sunt. Cauterisatione in postremum non utemur.

D. X. vulneris margo omnibus in partibus est infiltratus; singuli nodi ex infiltrato exstant; dolores sunt aucti, praecipue nocturno tempore: aegrota debilem se esse sentit; lectum fere non relinquit.

D. XIV. alii nodi ex diversis infiltrati vulneris marginis locis brevi enascuntur, uberrime in cavo axillari inveniuntur, unde usque ad tergum animadvertuntur; magna puris copia ex vulnere effluit; vires extenuantur; somnus nocturnus persaepe turbatur, qua de causa datur Morph. gr. $^1/_8$.

D. XVI. aegrota meridiano tempore confestim dyspnoea affecta est; respirationis frequentia quadraginta; pulsuum ictus centum et viginti; dolores in regione hypogastrica dextra; corpus inflatum non est. Dolor in latere dextro est gravior, si arcus costae premitur. Thorax quidem inquiritur, nihil, quod a normali aberrat, invenitur; aegrotae cataplasmata applicantur in regione hypogastrica dextra; nocturno tempore datur Morphium.

D. XXIV. dyspnoea imminuta est; aegrota aegre ducit spiritum, facilius sedens, quam jacens. Thorax inquiritur: in dextra posteriore parte ejus, quod nos dicimus „vollständige Dämpfung" percussione invenitur; respiratio est bronchialis, ronchi consonantes. In inferiore thoracis dextri parte, non auditur respiratio, sonus in percussione obtusus. Anterior thoracis pars minus diligenter inquiri potuit, quum vulneris superficies permagna esset; percussio fieri non potuit, auscultatio, difficile acta, respirationem esse bronchialem docuit. In sinistra thoracis parte respiratio est subtiliter vesicularis; cordis soni sine ullo strepitu audiuntur; in regione hypogastrica dextra adhuc dolores sentiuntur. Aegrota hodie a propinguis abducta, incurata est dimissa.

Observatio sexta.

Juliana Koppte, silvarum inspectori nupta, XLIV annos nata, in hospitium d. XXIV. m. Jun. LIX. Mulier nunquam tota sua vita meminit aliquo laborasse morbo, nisi quod dicit, febri gastrica. Octo annis

ante peperit puellam, cui sicut utrique nntea natae ipsa mammas praebuit. Aegrota, se antea thorace linteo, cujus summa balaenae maxilla usque ad mediam mammam pertinuerit, indui solitam esse fatetur. Praeterea auctumno a. p. mamma vaccae cornibus violata est, quo facto femina paullo post nodulum in mamma sensit, qui neque digito compressus neque sua sponte dolores excitavit, quique facile suo loco moveri potuit et hieme a. p., cute interrupta, humidam ulceris superficiem effecit. Stat. praes.: suspicienti in ea parte mammae, quae lineae axillari vicina est, magnitudinem duorum thalerorum numismatis adaequans ulceris superficies apparet, cujus margines duri, hirti, callosi esse videntur. Ulcus ipsum flavidum, purulentum humorem secernit. Cetera mammae pars indurata est, et tumor, cujus margines subsunt hirti, digito pressus dolores non excitat, in parte, lineae sternali vicina, facile suo loco movetur, ei autem parti, quae pertinet ad lineam axillarem, ubi sedes ulceris est, firmius affixus. Mammae papilla est depressa et glandulae axillares non intumuerunt. Prognosis est infausta; therapia: nulla operatio, quia partim malum rediret, nisi omnes neoplasmatis reliquiae essent remotae, partim universas removere, operationis non solum difficillimae esset, sed etiam res perniciosae, quae eam sequerentur, ex. gr. Phlebitis, Pyaemia, Thrombosis mortem properarent. Adhibitum est unguentum Kalii jodati.

Observatio septima.

W. Sicker, pectinum fabricatoris uxor, XLIV annos nata, die X. m. Aug. LIX recepta est. Mulier, excepta peritonitide, qua ante tredecim annos laboraverat quaeque quater redierat, semper se sanam fuisse affirmat. Menstruatio legitimum ordinem retinuit; hoc autem tempore, quo annos climactericos init, rectum ordinem non sequitur, sed modo post sex hebdomades, modo post tres redit atque profusa est. Quamquam alteri jam conjugi nupta est, tamen nondum peperit; ceterae functiones nullo turbantur vitio; aurium tantum susurro et bombo et tarditate, quae ante sex menses exorta dextra in aure graviora sunt, se laborare dicit. Aegrota consulit ob tumorem mammae sinistrae, quem primum diebus pentecostalibus sensit, quique illo tempore magnitudinem ovi columbini ad-

aequavit. Stat. praes.: mamma sinistra valde dilatata papilla depressa, rubor ejus lividus et profusus, parvaeque gignuntur venae. Glandulae temporatio solito major, tumorque sentitur magnitudinem infantis capitis aequans, qui cuti firmiter affixus, in musc. pectorali maj. potest moveri. Tumor, qui densus solidus videtur, in posteriore parte complanatus est neque a cetera mammae substantia circumscribi potest. In cavo axillari glandula intumuit, sed loco potest moveri. Ab operatione abhorruit mulier aegrota.

Observatio octava.

Luis. Metz, vidua, annos XLIX nata, die II. m. Nov. LIX in clinicum chirurgicum venit. Mulier, quae tenui corpore est, pallidaque facie, bona se semper valetudine fructam esse dicit. Octo se peperisse infantes, quorum ultimus ante annos quinque natus sit. Menstruatione se carere; se decem mensibus ante in mamma dextra sensisse nodum, qui brevi tempore creverit, permagnus factus sit et interdum dolores excitaverit. Praeterea glandulam in dextro cavo axillari intumuisse. St. pr.: In infima et extrema mammae parte tumor videtur durus et per totam paene mammam patens. Cutis, quae summo loco vix moveri potest, tumori adhaerere videtur. Dextra papilla depressa est. Ceterum cutis intacta, et venae non dilatatae. Acus infossa textum tangit corio simile, cystae autem in tumore non inveniuntur. Ex aetate feminae et indiciis morbi propriis, et exploratione acu facta de scirrho mammae conjicere licet, praesertim, quum in cavo axillari dextro infiltrata et indurata inveniatur glandula. Prognosis igitur infausta, quippe quum malum jam tantos progressus fecerit. Therapeutice morbus non nisi per operationem sanari potest, atque maxima opus est celeritate. Aegrotae abhorret ab operatione.

Observatio nona.

Susanna Rieger, vidua, XXXIX annos nata recepta est in clinicum die III. m. Nov. LIX. Aegrota parva sed robusta statura, faciem sano colore praebet. Semper adhuc sanam fuisse, se.. nonnullis annis ante

pectus ad temonem offendisse, quo casu nullis doloribus affectam se esse contendit. Anno praecedenti tamen in exteriore mammae parte infra papillam nodus ortus est ciceris magnitudine, qui brevi tempore crevit. Sed quum maritus gravi morbo, quem postea mors secuta est, laboraret, tumorem illum neglixit, donec quatuor decem diebus ante mamma loco, quem supra memoravimus, erupit, et ulcerosa et male olens superficies, medicum consulere, illam coëgit. Eodem tempore in cavo axillari sinistro, parva, indurata inveniebatur glandula. Doloribus affectam fuisse se dicit. Menstruratio ejus legitima, id quod tumorem malignum minime indicasset, praesertim, quum aegrota aetate jam provecta in praesentia doloribus careat, nisi tumor, qualis est, et quo ambitu et quia glandula etiam axillaris affecta est, rem in contrarium verteret. Etenim in inferiore et exteriore mammae parte tumur durus est, magnitudine modica; tumor summus rubris callosisque marginibus locum habet hiantem, qui materiam secernit pinguem, purulentam, fulvam, male olentem, qui locus digito tactus non excitat dolores. Papilla neqne depressa est, neque tantum eminet, quantum mammae alterius. In cavo axillari invenitur glandula infiltrata et indurata, juglandis magnitudine. Femina, monita, mammam penitus exstirpandam esse, operationis periculum subire paratam se dicit, quippe quum futurum sit, ut a fratre benevole et recipiatur et tractetur. Operatio fit die IV. m. Nov. Tumor circumciditur et removetur usque ad m. pectoralem majorem, glandula axillaris item exstirpatur, quod non sine magno fit labore, quum glandula profunde insideat. Quamvis summa adhibeatur cautio, complures venae et arteriae violantur; magnum quoddam vas violantum magnum permultum sanguinis emittit, qui cito reprimitur. Omnibus remotis tamponatio cavi axillaris adhibetur, et vulnus sutura pellionum clausum frigidis cataplasmatibus involvitur.

D. V. m. Nov. aegrota interdum dormivit; pulsuum ictus nonaginta et duo; status bonus; dolores absunt; vespertino tempore pulsus numerantur C; status bonus.

D. VI. pulsus nonaginta; sitis adest, alvo soluta est, dolores absunt.

D. VII. fasciis demptis, puris paullum exit; sutu-

rae superiores persecantur et aqua Chlori adhibetur. Vespertino tempore pulsus centum et quinque.

D. VIII. pulsus octoginta et quinque, status bonus, linamentum, quantum solutum sit, demitur; puris satis multum exit; doloribus aegrota caret; cataplasmata nullá adhibentur; vespertino tempore aegrota bene se habet; pulsus C.

D. IX. status bonus; suturae omnes removentur, pulsus LXXXVIII.

D. X status idem, valetudo bona; pulsus nonaginta; somno adhuc interrupto utitur; aegrota alvo heri non soluta est; Clysmata porriguantur.

D. XI. valetudo bona; pulsus octoginta quinque, vulnus laudabiles habet granulstiones; solut. Chlor. adhibetur; appetitus nondum magnus.

D. XX. valetudo bona, nec non minus vulneris qualitas, in cavitate axillari est cavum juglandis magnitudine, quod linamento plane effarcitur. Vulnus quotidie purgatur.

D. XXV. cavum minuitur; therapia eadem; valetudo bona, lectum aegrota relinquit; appetitus bonus

D. VI. m. Dec. cavum minutum; superior praecipue vulneris margo infiltratus est et digito pressus dolores excitat.

D. XIV. eavum axillare bene se habet, ex infiltratis partibus magis magisque fiunt nodi; cutis rubra est et candens.

D. XVII. nodi recidivi exstirpantur; pars magnitudinem ovi gallinacei aequans exciditur et vulnus sutura continetur et frigidis cataplasmatibus involvitur.

D. XVIII.—XIX. Valetudo est bona; suturae demuntur; vulnus prima reunione clausum.

D. XXV. valetudo optima; vulnus cavi axillaris magis magisque minuitur.

D. IX. m. J. LX. vulnere plane clauso, femina dimittitur.

Aegrota die XXIV. m. Mar. LX. an. iterum nostram operam petit, ut nodum recidivum ovi columbini magnitudine in eadem regione excidamus. Valetudo ejus generalis nondum infracta, nodus tantum, quem commemoravimus eam quodammodo excitat. Postulanti, ut excidatur, mos geritur.

D. XXIV. quamquam sectio fiebat circum nodum, vulneris tamen margines maxime hiant; sutura pellionum vulneri manus longitudinem adaequanti. Vesper-

tino tempore vulnus paullum urens pannis aqua frigida saturatis involvitur; acid. phosph. adhibetur.

D. XXV. valetudo bona; aegrota interdum somnum cepit, pulsus n. LXXXIV.

D. XXVI. sutura demitur; excepta parva parte media, prima intentio facta est; vulnus nūsquam vehementer urit; valetudo bona; adhibetur Acid. phosph.

D. XXVII. pus bonum et laudabile; vulnus pannis chamomilla satiatis involvitur;

D. II. m. Apr. aegrota bene se habens, vulnere nondum plene clauso, dimittitur, redit tamen ad fascias applicandas.

D. V. Parva tantnm vulneris superficies granulationes recentes habet; glandulae axillares non sunt affectae; aegrota utitur kal. jod. et oleo jecor. asel.

Mense Maj. denuo magnos duos incute et prope cicatricem nodos esse ortos dicit; demittitur kal. jod. et ole. jec. asel. uti jussa.

Aegrota mense Aprili dimissa, tertia recidiva, quamquam usa est kalio jod., orta, redit die XV. m. Jun. LX an. Eliptica parte excisa, vulneris margines sutura clauduntur, vulnusque ipsum pannis aqua gelida satiatis involvitur. Vespertino tempore aegrota febri modica excitatur.

D. XVI. acid. phosph. porrigitur.

D. XVIII. fasciis remotis, prima reunio in profundo animadvertitur, cutis in medio vulnere hiat.

D. XXIII. valetudo bona, reunio manet; vulneri lintea sicca imponuntur.

D. XXVII. aegrota dimissa est; fascias renovandi causa clinicum adit; induratio nusquam sentitur; ol. jec. asel. adhibetur.

D. VI. m. Jul. vulnus est clausum, induratio nulla.

Die VI. m. Jul. dimissa, die IV. m. Sept. an LX. in nosocomium redit. Iterum sensit nodulos simplices ciceris magnitudine, quorum duo patefacti sunt. In cavo axillari glandulae complures infiltratae; major nodus est in inferiore circatricis margine. Aegrota queritur de doloribus in femore dexto, qui a tubere ischii ad fossam popliteam pertinent et incessum impediunt. Re inquisita, nihil certi poni potest. Aegrota dolores praecipue in symphysi sacro-iliaca sedem perpetuam habere dicit. Tinctura Jodin teritur.

D. VII. Torpore feminae allato, insana omnia exstirpantur. Neoplasma praesertim costae tertiae re-

spondens penitus ad eam pertinet ita, ut scalpellum usque ad os infossum stridorem faciat. Ligaturae octo adhibentur, non sutura; Tanninum, lintea imponuntur.

D. VIII. Pulsus numerantur CXX, facies rubra est et candens; vesica glaciei plena aegrotae est jucundissima; Acid. phosph. porrigitur.

D. IX. aegrota, cujus cutis adhuc calida est, somno fructa est; pulsus numerantur CX. Therapia eadem: vespertino tempore pulsus CXXX.

D. X. valetudo melior; pus nondum satis effluit; pulsus CX.

D. XI. Vesica glaciei plena non adhibetur; in exteriore vulneris angulo: linamentum pure saturatum; superioribus stratis remotis, linamentum recens imponitur, fasciae renovantur; pus bene exit neque admodum profuse.

D. XIV. matutino feminae pulsus numerantur CXXX facies pallida anxiaque; pulmones non affecti sunt.

D. XVI. aegrota diarrhoea laborans Ipecac. et Opio utitur.

D. XVII. therapia eadem; feminae ceterum nulla re gravatae, matutino tempore pulsus CXXX numerantur.

D. XIX. aegrotae ceterum bene se habentis pulsus matutino CXX, sub vesp. temp. minuuntur numero. Vulneris status bonus.

D. I. Oct. m. nodus exciditur.

D. XVII, aegrota, nodo iterum exciso, excitata est semper; appetitus bonus; Rheum. porrigitur.

D. XXV. Aegrota paullatim refecta, lectum relinquit. Quum per gradus descendit, ut in hortum se conferat, repente, crure dextro innisa audit crepitationem. Reportatur in cameram, et re inquisita, reperitur fractura colli femoris dextri. Utrum carcinomate fractura effecta sit, necne, dubium est; tumor non sentitur; planum inclinatum adhibetur.

D. X. m. Nov. denuo in regione operati loci nodi complures oriuntur; glandulae lymphaticae sunt infiltratae; aegrota queritur de doloribus coxae dextrae, quae pannis aqua frigida saturatis involvitur.

D. XXVI. aegrota imbecilla ad propinguos dimissa est.

Observatio decima.

Maria Kaiser, die VII. m. Nov. a. LIX recepta est in clinicum. Aegrota, triginta et quatuor annos nata, robusta corporis forma, mense Decemb. LVIII in exteriore papillae parte nodum, ambitu non exiguo, sensit, qui paullatim crescens per totum pectus occupavit. Aegrota interdum doloribus affecta est, neque vehementia neque diuturnitate admodum molestis. Mulier quatuor peperit infantes, quorum tribus prioribus utramque mammam praebuit, quarto non praebuit eam, quae morbo jam affecta erat. Haec valde intumuit et flavam et saepe sanguinecom mixtam materiam secrevit. Jam aegrota operam nostram petit. Tota fere mamma infiltrata est et loco suo moveri potest, papilla ipsa depressa. Cutis ei nusquam, excepto tuberculo cutis rubro, affixa. In cavo axillari glandulae nonnullae concretae jugladis maguitudinem adaequant, sunt infiltratae, neque suo loco moveri possunt. — Quibus omnibus rite perpensis aegram scirrho laborare, elucebat. Per torporem mamma amputatur et glandulae axillares exstirpantur; amputatio mammae autem difficilis est, quia mamma, quae initio loco moveri posse videbatur, jam firmiter est affixa. Sanguinis non multum effunditur. Ligaturis tribus opus est et sutura pellionum fit usque ad cavum axillare, quod linamentis expletur. Reunio vulneris marginum fit sine ulla tensione acri; vulnus linteis aqua frigida saturatis involvitur; vespertino tempore pulsus numerantur nonaginta quinque; aegrota queritur de doloribus abdominalibus; clysmata ponuntur; fasciae non renovantur.

D. XI. sanguis non effusus est; fasciae non removentur. Pulsuum ictus sunt nonaginta; aegrota alvo soluta est.

D. XII. fasciis demptis, paene prima reunio facta animadvertitur; puris paullum exit; status bonus; pulsus C numerantur.

D. XIV. ligaturae omnes removentur, status bonus; vulnus lineas paucas latum secundum totam sectionis longitudinem bonum, margines nusquam late subfossi.

D. XVI—XX. status bonus, appetitus adest, aegrota se bene habet.

D. XXIX. femina sanata dimissa est. —

Observatio undecima.

Augusta Hoffmann, sartrix, XXXVII annos nata, quae tenui est corporis forma, fusco cutis colore, initio m. Jan. in mamma sinistra supra papillam nodum sensit nucis avellanae magnitudine, qui brevi accrevit, neque tamen dolores excitavit. Aegrota, quae die XIV. m. Apr. nos consuluit, tumore laboravit, qui facile suo loco movetur, magnitudine juglandis, rotundus, durus, in superficie levis. Glandulae axillares non sunt infiltratae. Diagnosis est: Carcinoma mammae. Femina bene se habente, tota mamma exstirpatur, quippe quum ex nodo initium capientes fasciculi complures firmi in glandulam proficiscantur. Aegrota chloroformio vehementissime exstitata maximos tollit clamores. Primum super tumorem sectione facta, glandula, cute non dempta, removetur; sanguinis paullulum effunditur. Tribus ligaturis factis et sutura pellionum imposita, ad compressionem exercendam fasciae adhibentur. Vespertino tempore aegrotam febris vehemens excitavit.

D. XX. pulsus numerantur centum et decem; aegrota, quae somno paene caruit, capit acid. muriat.

D. XXII. aegrota melius se habet; pulsuum ietus numerantur nonaginta; vires sunt auctae; fasciae demuntur; pus exiguum, prima intentio nusquam; de vulneris margine inferiore ea pars, quae papillam in se habet, decidit; adhibetur aq. empyreum.

D. I. m. Maj. V. valetudo est bona; vulnus purgatur; granulationes fiunt meliores

D. VI. Vulnus, parva ejus parte excepta, in cicatrisationem iniit; D. XI. femina sanata est dimissa.

Observatio duodecima.

Susanna Przybilla, annos quadraginta tres nata, recepta est in nosocomium o. s. die decimo quarto m. Jun. an. LX. Ex XXII. mensibus aegrata supra mammae dextrae papillam duritiam sensit, quae paullatim incrementis captis ovi anserini magnitudinem aequavit. Constat illa ex tumore duro, vix mobili, cui cutis paene est affixa. Acus infossa, textum penerrat, cavis carens; dolores non acres; glandulae non sunt infiltratae. Menstruatio abhinc XXII. mensibus retenta, mu-

lier ipsa macra quidem, ceterum non attrita valetudine. Omnia indicant, operationem esse faciendam tumoris, qui scirrhus sit habendus. Cute supra et infra tumorem incisa, tumor ipse firmiter affixus, exstirpatur et usque ad musculnm pectoralem majorem removetur. Tres arteriae ligatura substringuntur et sutura pellionum locus hians clauditur; frigus adhibetur.

D. XVI. aegrota bene se habet.

D. XVIII. fasciae male olentes demuntur; suturae removentur; cutis emplastris adhaesivis obducitur; status vitae bonus.

D. XX. vulneris anguli prima reunione clausi sunt, medium vulnus hiat; Linamentum cum solutione calc. imponitur.

D. XXV. vulnus minuitur; menstruatio redit.

D. XXXI. status bonus; vulnus, quod quotidie cautorisatur, deminuitur.

D. VI. m. Jul. incisio fistulae tres fere digitos latae, linamentum imponitur, cataplasmata adhibentur.

D. X. status bonus; vulnus coit in citatricem.

D. XVI. Mulier sanata, excepto loco hiante exiguo, est dimissa

VITA.

Natus sum Joannes Franciscus Beinlich, fidei addictus catholicae, die XXIV. m. Junii h. s. XXXVII, in pago Rathen, prope Glatz sito. Patrem carissimum Franciscum ex duobus annis mors eripuit invida, unde summo animus meus consternatus est moerore. Matre dilectissima Josepha, e gente Treutler, adhuc vivente gaudeo. Primis litterarum elementis in schola pagi Albendorfensis instructus, adii gymnasium Glacenum. Maturitatis testimonio accepto, anno h. s. LVIII, almam litterarum universitatem Viadrinam petii, cujus inter cives a Viro Ill. Haase, tunc fasces academicos tenente in civium academicorum numerum receptus apud Ill. nuper mortunm Benedict gratiosi medicorum ordinis t. decanum nomen professus sum.

Per quadrinnnium disserentes audiri viros Illustrissimos, celeberrimos, experimentissimos, Barkow, Betschler, Braniss, Cohn, Foerster, Frankenheim, Freund, Goeppert, Grosser, Grube, Haeser, Heidenhain, Klopsch, Lebert, Loewig, Middeldorpf, Paul, Roemer.

In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in clinico et policlininn obstetricio Ill. Betschler in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico chirurgico-ophthalmiatrico Ill. Middeldorpf duces mihi fuerunt benevolentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime adjnverunt me, Exp. DDr. Dietrich, M. Freund, W. Freund, Radermacher, Reichelt, Reinhard, Ressel, Stark.

Quibus omnibus viris summe venerandis gratias ago quam maximas.

Tentaminibus vero et philosophico, et medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

1. Sunt morbi, qui corpori prosint.
2. Aegrotantis adspectus ejusdem medico momenti, quam examen.
3. Lupus exulcerans ratione galvanocaustica optime sanatur.